

49 : 1 **PSALMUS ASĀF: Deus deōrum Dominus locūtus est, et vocāvit terram ā sōlis ortū usque ad occāsum.**

A psalm for Asaph. The God of gods, the Lord hath spoken, and he hath called the earth from the rising of the sun, to the going down thereof.

49 : 2 **Ex Siōn speciēs decōris ejus;**

Out of Sion the loveliness of his beauty;

49 : 3 **Deus manifestē veniet; Deus noster, et nōn silēbit. Ignis in cōnspectū ejus exārdēscet, et in circuitū ejus tempestās valida.**

God shall come manifestly; our God shall come, and shall not keep silence. A fire shall burn before him, and a mighty tempest shall be round about him.

49 : 4 **Advocābit caelum dēsūrsum, et terram, discernere populum suum.**

He shall call heaven from above, and the earth, to judge his people.

49 : 5 **Congregāte illī sānctōs ejus, quī ōrdinant testāmentum ejus super sacrificia.**

Gather ye together his saints to him, who set his covenant before sacrifices.

49 : 6 **Et adnūntiābunt caelī jūstitiam ejus, quoniam Deus jūdex est.**

And the heavens shall declare his justice, for God is judge.

49 : 7 **Audī, populus meus, et loquar; Israhēl, et testificābor tibi; Deus, Deus tuus ego sum.**

Hear, O my people, and I will speak; O Israel, and I will testify to thee; I am God, thy God.

49 : 8 **Nōn in sacrificiīs tuīs arguam tē; holocausta autem tua in cōnspectū meō sunt semper.**

I will not reprove thee for thy sacrifices; and thy burnt offerings are always in my sight.

49 : 9 **Nōn accipiam dē domō tuā vitulōs, neque dē gregibus tuīs hircōs.**

I will not take calves out of thy house, nor he goats out of thy flocks.

49 : 10 **Quoniam meae sunt omnēs ferae silvārum, jūmenta in montibus, et bovēs.**

For all the beasts of the woods are mine, the cattle on the hills, and the oxen.

49 : 11 **Cognōvī omnia volātilia caelī, et pulchritūdō agrī mēcum est.**

I know all the fowls of the air, and with me is the beauty of the field.

49 : 12 **Sī ēsurierō, nōn dīcam tibi, meus est enim orbis terrae, et plēnitūdō ejus.**

If I should be hungry, I would not tell thee: for the world is mine, and the fulness thereof.

49 : 13 **Numquid mandūcābō carnēs taurōrum? Aut sanguinem hircōrum pōtābō?**

Shall I eat the flesh of bullocks? Or shall I drink the blood of goats?

49 : 14 **Immolā Deō sacrificium laudis, et redde Altissimō vōta tua.**

Offer to God the sacrifice of praise, and pay thy vows to the most High.

49 : 15 **Et invocā mē in diē trībulātiōnis; ēruam tē, et honōrificābis mē.**

And call upon me in the day of trouble; I will deliver thee, and thou shalt glorify me.

49 : 16 **Peccātōrī autem dīxit Deus: Quārē tū ēnārrās jūstitiās meās, et assūmis testāmentum meum per ōs tuum?**

But to the sinner God hath said: Why dost thou declare my justices, and take my covenant in thy mouth?

49 : 17 **Tū vērō ōdistī disciplīnam, et prōjēcistī sermōnēs meōs retrōrsum:**

Seeing thou hast hated discipline, and hast cast my words behind thee.

49 : 18 **Sī vidēbās fūrem, currēbās cum eō, et cum adulterīs portiōnem tuam pōnēbās.**

If thou didst see a thief thou didst run with him, and with adulterers thou hast been a partaker.

49 : 19 **Ōs tuum abundāvit malitiā, et lingua tua concinnābat dolōs.**

Thy mouth hath abounded with evil, and thy tongue framed deceits.

49 : 20 **Sedēns adversus frātrem tuum loquēbāris, et adversus filium mātris tuae pōnēbās scandalum.**

Sitting thou didst speak against thy brother, and didst lay a scandal against thy mother's son.

49 : 21 **Haec fēcistī, et tacuī. Exīstimāstī inīquē quod erō tuī similis; arguam tē, et statuam contrā faciem tuam.**

These things hast thou done, and I was silent. Thou thoughtest unjustly that I should be like to thee; but I will reprove thee, and set before thy face.

49 : 22 **Intellegite haec, quī oblīvīsciminī Deum; nēquandō rapiat, et nōn sit quī ēripiat.**

Understand these things, you that forget God; lest he snatch you away, and there be none to deliver you.

49 : 23 **Sacrificium laudis honōrificābit mē, et illic iter quō ostendam illī salūtāre Deī.**

The sacrifice of praise shall glorify me, and there is the way by which I will show him the salvation of God.